



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

4. Puncta de veneratione sanctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

PARS QUARTA.

*Puncta aliquot circa venerationem San-
ctorum vtilissimè expendenda.*

1. CONSIDERABIS Sanctos esse cohæ-
redes Christi, & cæli principes, iamque in
æterna illa gloria collocatos; ab SS. Ange-
lis, ipsaq; SS. Trinitate honorari, cuius bea-
tissima visione perfruuntur, ex quo cogno-
sces, quo honore & obseruantia à te coli
debeant.

2. Considerabis Sanctos maxima tibi &
innumerabilia beneficia à Deo impetrare
posse, sicut multis adhuc alijs impetrarunt:
Itaque concludes vehementer tibi expedi-
re eos habere amicos; in hora potissimum
mortis, in qua circumdatus impuris spiriti-
bus ad exitum tuum paratissimis, felix e-
ris, si aliquos tibi Sanctos à te diligenter
cultos assistentes tibi habere possis, qui te
iuvant, qui tartareas eas furias in fugā ver-
tant, ac te æternæ beatitudini, in qua nunc
triumphant, adscribendum à Deo impe-
trent.

3. Procurabis tibi confusionem, confe-
rens Sanctorum vitam cum tua; quantum
nimirum hæc flagitiosa sit, & differat ab il-
lorum pia conuersatione; ponderando ita
ex vna parte virtutes eorum, & mores

sanctos, ex altera multitudinem tuorum peccatorum.

4. Pones tibi ob oculos sanctorum labores & ærumnas, quas in hoc mundo pro Christo Domino assidue pertulerunt; ipsorum fidem, spem, caritatem, humilitatem, obedientiam, patientiam, constantiam, zelum, inuictam in certaminibus, & tormentis fortitudinem, in superabilem in capeffenda morte alacritatem, denique Apostolorum, Martyrumque inclitam firmitatem, ac in medijs difficultatibus perseverantiam. Confessorum verò, monachorum, religiosorum vigilias, ieiunia, solitudines, vitæ asperitates, corporis mortificationes, studia, pœnitentias, lachrymas, & cætera id genus pietatis Exercitia. Virginum denique, & sanctarum mulierum integerrimam castitatem, exhaustos pro ea seruanda labores, angustias, persecutiones, torturas, flammæ, mortes; quæ quidem omnia admirabilis consecuta est beatitudo, & gloria nullis annorum myriadibus terminanda. Contra verò videbis, quæ breui felicitas, impiorum (si modò felicitas, quæ illos rapit ad æternos cruciatus appellanda est) finiatur, pœna eam subsequente intolerabili, & in omnem duratura æternitatem.

5. Postremò, excitabis te ad amorem Dei.

Dei, qui auctor & principium fuit omnis illius Sanctorum virtutis, & sanctitatis, ac per consequens gloriæ cælestis, quæ eam sanctitatem excepit. Tantum itaque tantorum bonorum fontem, & auctorem amabis & admiraberis, gratiasque illi, quantas poteris, ages de omni eius gratia & misericordia concessa sanctis; quam roga- bis etiam tibi concedi, & donari, ut ad eorum Societatem pertingere aliquando possis.

PARS QUINTA.

Quid sibi velit Sanctorum electio, & sententiarum distributio; quæ in Sodalitate fieri solet?

Sodalitas in primis ad augendum in alumnis suis Sanctorum cultum, & honorem; ad persentiendam ipsorum meritis & suffragiis opem Dei, efficacius, mensibus singulis unicuique Sanctum aliquem designat, quem quisque toto mense colat; cui se crebro, mane potissimum, & vespere commendat, quem sacris illi feriis peculiari studio, cultuque observet, & veneretur; in eius scilicet honorem divinam rem audiendo; vitam eius, si possit, legendo; recitando aliquas illorum laudes, ut sunt hymni,

K s;

ni,